



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tyrocinium Artis Oratoriæ Sacræ Et Profanæ

Moine, Joseph

Solodori, 1714

Liber IV. De quarta part. Eloquentiæ, seu de Memoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68834](#)

LIBER IV.

De quarta parte Eloquentiæ,
seu de Memoria.

CAPUT I.

De natura, utilitate, & exercitatione Memoriae.

Memoria
quid.

I.  *Uid est Memoria ? Resp.*
Jam initio dixi, quod sit singularum orationis partium firma & ordinata recordatio.

Itaque non sufficit Oratori tantum confusè scire, quid domi cogitârit aut scripserit, sed necesse est, ut singulas partes eo ordine, quo scripsit, sine metu perturbationis in memoria teneat, & ex eadem simili ordine possit reddere ac proferre.

II. *Quotplex est Memoria ? Resp.* Duplex. *Artificialis*, qua partes singulæ certis quibusdam imaginibus & locis, certo intervallo ac ordine per artem affiguntur. Et *Naturalis*, quæ est una ex potentiis, ut vocant, animæ, vis scilicet recordandi.

III. *Quid sentiendum de Memoria artificiali ? Resp.* Illud artificium & operosum est, & multis inutile, non paucis etiam noxiūm.

Quotplex.

Artificialis.

IV.

IV. Quid prodest Memoria naturalis? Resp. Naturalis.
Plurimum, si prompta, facilis, & expedita
sit. Cum enim orationes non legantur co-
ram auditoribus, sed ex memoria dicantur,
hujus usus & necessitas ingens est. Dein-
de meliora sunt, quae diligenter excogitata,
scripto, & ex hoc memoriæ mandata pro-
nuntiantur, quam quæ ex tempore sine ac-
curata præparatione prævia efferuntur: præ-
terquam enim, quod ea quorundam præfi-
cientia & vanissima jactantia, in sacris præ-
sertim orationibus, de auxilio divino sibi
nihil possit promittere, à quo tamen Orator
& fructus ex auditoribus exspectatus pen-
det, destituitur ille modus sine præparatio-
ne dicendi usu prudentiorum. Neque alle-
getur longa experientia & in dicendo exer-
citatio, quæ videtur his extemporaneis o-
ratoribus patrocinari: nam etiam exercita-
tissimi sua scribunt, & quæ scripserunt me-
moriæ mandant. Imò quod quis magis in
dicendo est versatus, eo diligentius se pa-
rabit, cum usus ipse doceat, cultiora suum
ornatum debere tempori, & licere in illo
discendi otio quædam addere, demere, mu-
tare, quæ in attenta & iterata repetitione
minùs aptè congruere deprehenduntur. Vi-
cissim qui ex tempore dicunt, plerumque
parùm judicata, non satis digesta, malè or-
dinata in medium afferunt. Accedit, quod
memoriæ tradita ob ipsum spatium, quo ei
ime

imprimuntur, melius expolita, venustius etiam enuntientur. Iisdem longè citius atq; distinctius occurunt multæ rerum & verborum species, quibus oratio copiosior, auditoribus gratior, & ad flectendos animos potentior efficitur.

**Ex scripto
discendum.**

**An de verbo
ad verbum?**

v. Utrum duorum præstat, orationem ex scripto, an ex sola meditatione memoria imprimere? Resp. Utique firmius, ordinatus, & certius hærent, quæ ex scripto discuntur. Apud illos nominatim, quos species locales adjuvant, minus periculum est, ne inter dicendum perturbentur, cum phantasia interim chartæ inhæreat, dum lingua loquitur, sciántque tales, quid statim sequatur, quantum supersit, ut quo-cunque casu possint aliqua contrahere vel omittere, si necesse sit. Sed de hoc capite sequente.

vi. Estne consultius scripta de verbo ad verbum, an de sensu ad sensum memoriae tradere? Resp. Prius illud longè operiosius, nec cujusque, & fortè periculosius est, ne scilicet Orator, qui non est instruētus fidelissimâ & firmissimâ memoria, hæreat, si singulis verbis ita sit adstrictus, ut uno vel paucis ipsum fugientibus, nesciat, quid sequatur. Quisque suum captum & usum consulat. Ea tamen, quæ ex SS. Litteris aut aliis Auctoribus citantur, hauddubie de verbo ad verbum discenda sunt. Quibus natu-

ra-

ralis aliqua facundia verborum affatim suppeditat, aut longus dicendi usus opitulatur, rem habebunt expeditiorem, si de sensu ad sensum sua discant. Advertitur in iis, qui verbis strictè nimis alligantur, nescio quæ, occulta solicitude, trepidatio, & languor aliquis in actione, præsertim vero in oculis: à quo incommodo posteriores illi sunt libiores.

CAPUT II.

De adjumentis & impedimentis Memoriae.

I. **Q**uomodo Memoriae vis potest augeri, & velut acui? Resp. Quibus à natura impeditior memoria obtigit, nullo faciliter medio illam juvabunt, quam quotidiana ejusdem exercitatione, saltem breve aliquid addiscendo. Quo in conatu necessario consultum videtur, sibi quædam ex SS. Litteris discenda sumere, quæ in concessionibus crebrius possunt occurrere. Sicut enim memoria etiam felix defectu exercitii sensim hebescit, ac velut rubiginem induit, ita quædurius est, ipso usu expolitur & robatur. Sunt, qui pro ea corrigenda quasdam medicinas præscribunt; sed nescio, an hæ sine exercitatione multum conducant.

Memoriam
juvant.

LIBER IV.

224

Eidem ob-
funt.

11. Quid nocet Memoriæ ? Resp. 1. Negotia & curæ pungentes , quibus in antecessum se oportet expedire. 2. Libertas & evagatio sensum inter addiscendum. 3. Vehementes Affectus Iræ , Tristitiae, &c. 4. Vinum & aliæ potionis calidæ , minus temperanter haustæ. 5. Quæcunque cerebrum magis exsiccant ; humidius enim cerebrum ad recordandum aptius dicitur. Certè quosdam nimio tabaci usu illius humoribus exhaustis minus deinceps memoriam valuisse constat. 6. Sinistra valetudo. 7. Cibi quidam crudiores , & indigesti , unde crassior vapor in cerebrum ascendens memoriam obfuscatur. Idcirco proderit attendere, quæ nobis alias impedimento fuisse animadverterimus. 8. Confusio & inconstans, dum huc illuc transfilimus , nec ordine progredimur discendo.

111. Qui sunt modi facile aliqua mandandi memoriæ ? Resp. Primarium medium ad complanandam Memoriæ difficultatem est observatio ordinis , non solùm in exercitio ipso Memoriæ , quod ad finem præcedit. monui , sed præcipue in oratione componenda. Quisque sibi ejusdem singulas partes ita coagentet , ut una trahat alteram ; argumenta debito sibi ordine statuantur , & difficultas hac in re magna ex parte sublata est. Etverò hic ordo , si sequi placeat modum , L. I. c. 9. n. 5. & seq. indicatum

Media faci-
hūs aliqua
discendi.

catum , atque amplius L. 6. exemplis ex-
planandum , jam erit confectus , continuus ,
& tam necessariò partes sequentes post se
trahens , ut videatur memoria , nisi in rebus
parvis , aliquem non posse destituere . Mo-
dò enim retineantur in memoria Argumenta-
tiones , earum partibus serie quadam ve-
lut intra cancellos inclusis oratio sine metu
in rebus majoribus aberrandi ad finem usq;
decurret . Quidquid tamen de hoc sit , sua-
deo 2. ne memoriæ commendando oratio-
nem , quisquam conetur id facere identi-
dem illam à principio ad finem usque le-
gendo : excident prima , dum leguntur po-
strema , & vicissim . Potius igitur per par-
tes parvas discenda sumatur , v.g. initio Ex-
ordium , aut ejus pars , & ita deinceps ;
non fiat progressus ad alias , donec prior
possideatur . 3. Dum posteriora condiscun-
tur , nonnunquam animo recurrentum ad
priora , ut species ordine imprimantur &
connectantur , hácq; ratione quis seipsum
periclitetur , quid magis , quid minùs firmi-
ter teneat . 4. Multos juvabunt species lo-
cales . Quare inter scribendum , quoties no-
va res occurret , v. g. aliud Argumentum ,
linea inchoëtur ab initio , eiq; numerus vel
aliud signum adscribatur . Ob eandem cau-
sam quæ ex SS. Litteris vel aliis libris ci-
tantur , proderit lineâ subducere . 5. Quod
discitur leni voce pronuntietur . Ratio est ,

P quia

quia memoria pendet à sensibus, & eò tenaciùs inhæredit, quò per plures sensus aliquid fuerit acceptum. Si igitur legendo videatur, & dicendo audiatur, stabiliùs imprimetur. 6. Si quis speciebus localibus adjuvetur, is, ex quo scripto discere cæpit, ex eodem pergit, ne, si describendo mutetur locus, species confundantur ac turbentur. 7. In ediscendis illis, quæ verbatim alleganda sunt, ut quæ ex Auctoriis afferruntur, morâ & attenta repetitione opus est, ut verborum series ordine suo in memoria cohæreat. 8. Non est etiam vana observatio temporis, quo quis discat. Quintiliano & experientiæ credamus. Optimum est quod somnum præcedit, & statim sequitur. Quod pridie mediocriter tenebatur, post quietem repetitum plenè possidere brevi incipiems. Recens memoria plerumq; infidelis est; per quietem sive ob remissionem laboris, sive ob quamcunque aliam causam, velut concoquitur, & maturescit, quod hausimus. 9. Sed facilitatem tardioribus etiam ingeniis sensim tribuit quotidianus memoriæ cultus, à parvis incipiendo, & paulatim, additis pluribus, ad majora progrediendo; quod medium memoriæ vires, utlabor assumptus, & indies mediocriter auctus, vires corporis, auget.